



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. VII. De vana spe, & elatione fugienda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

tia grauatur: quia sequutus est passionem suam, quæ nihil iuuat ad pacem, quam quæsiuit. Resistendo igitur passionibus, inuenitur pax vera cordis, nõ autem eis seruiendo. Non est ergo pax, in corde hominis carnalis: non in homine exterioribus dedito, sed in feruido & spirituali.

## CAP. VII.

*De vana spe, & elatione fugienda.*

*Iere. 17.* **1** V A N V S est, qui spem suam ponit in hominibus, aut in creaturis. Non te pudeat aliis seruire, amore Iesu Christi: & pauperem, in hoc sæculo videri. Non stes super te ipsum, sed in Deo spem tuam cõstitue. *Pf. 30.* Fac, quod in te est, & Deus aderit bonæ voluntati tuæ. *Iere. 9.* Non confidas in tua scientia, vel astutia cuiuscumque viuentis: sed magis in Dei gratia, qui adiuuat humiles, & de se præsumentes humiliat.

**2** Ne glorieris in diuitiis, si adsunt; nec in amicis, quia potentes sunt; sed in Deo, qui omnia præstat, & seipsum super omnia dare desiderat. Non

te

te extollas, de magnitudine vel pulchritudine corporis, quæ modica infirmitate, corrumpitur & defœdatur. Non placeas tibi ipsi, de habilitate aut ingenio tuo: ne displiceas Deo, cuius est totum quidquid boni naturaliter habueris.

3 Non te reputes aliis meliorem, *Exod. 3.*  
 ne fortè coram Deo deterior habeas. *Ex. 12.*  
 Non superbias de operibus bonis: quia aliter sunt iudicia Dei, quàm hominum: *Iob 9.*  
 cui sæpè displicet, quod hominibus placet. Si aliquid boni habueris, crede de aliis meliora, vt humilitatem conserues. Non nocet, si omnibus te supponas: nocet autem plurimum, si vel vni te præponas. Iugis pax cum humili: in corde autem superbi, zelus & indignatio frequens.

## CAP. VIII.

*De cauenda nimia familiaritate.*

1 **N**ON omni homini, reueles cor *Eccle. 8.*  
 tuum: sed cum sapiente & timente Deum, age causam tuam. Cum iuuenibus & extraneis, rarus esto.

A 7 Cum